

operationes quæ individuo debentur; non autem absolute prout naturam respicit.

Et per hoc patet solutio ad tertium: quia etiam illa (1) facilitas quæ ex consuetudine relinquitur, est secundum hoc quod potentia inclinatur ad actus individui.

Ad quartum dicendum, quod alia passibilitates non sunt modo magis in homine quam antiquitus fuerint tempore diluvii: unde (2) etiam David de hominibus sui temporis loquitur, Psalm. LXXXIX. 10. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.* Sed verum est quod ante diluvium homines diutius vivebant virtute divina hoc faciente ad generis humani multiplicationem.

Ad quintum dicendum, quod alia passibilitates, ut mortalitas, & huiusmodi, non intenduntur, & remittuntur ex diversitate complexionis, secundum quod naturam respiciunt (unde mortale, prout est differentia naturam speciei constituens, non recipit magis & minus) sed solum secundum quod ad consistentiam, & operationes individui comparantur.

### QUESTIO II.

Deinde queritur de causa originalis infectionis: & circa hoc queruntur tria.

Primo. Utrum à Deo sit.

Secundo. Utrum divinam sapientiam deceat quod hoc modo permittit animam maculari.

Tertio. Utrum animæ in sua creatione sint inæquales, ut Magister in littera dicit.

### ARTICULUS I.

*Utrum infectio peccati originalis sit à Deo.*

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod infectio originalis à Deo sit. Anima enim dum creatur infunditur, ut Augustinus, (a) de eccles. dogm. dicit. Sed anima in infusione maculatur. Ergo & in creatione; & sic à Deo maculam habet.

2. Præterea. Magister supra dixit, quod si Angelus in primordio suæ creationis malus fuisset, sequeretur Deum mali esse auctorem. Sed anima in principio suæ creationis maculata est. Ergo sequitur quod illius maculæ Deus sit causa.

3. Præterea. Ut Augustinus dicit, (b) de Civit. Lib. V. cap. x. omnis pœna à Deo est. Sed hæc infectio, præcipue secundum quod post baptismum remanet, pœna quædam est. Ergo à Deo est.

4. Præterea. Quidquid consequitur principia naturæ, præcedit ab auctore naturæ. Sed huiusmodi deordinatio ex principiis naturæ consequitur, ut supra dictum est, in quantum quælibet vis naturaliter in suum objectum tendit. Ergo à Deo, qui est auctor naturæ, procedit.

5. Præterea. Nihil est ordinatum ad bonum quod à Deo non sit. Sed fomes est promovens ad bonum, maxime secundum quod post baptismum remanet. Ergo à Deo est.

Sed contra. Damascenus dicit, Lib. III. Fid. orth. cap. vi. quod Christus assumpsit quod in natura nostra plantavit. Sed corruptionem fœditis non assumpsit. Ergo fomes in natura nostra ab ipso non est.

(1) Al. facultas. (2) Al. enim. (3) Al. convertens.

Ex Edit. P. Nicol. (a) Non verus quidem, sed suppositivus Lib. de eccles. dogm. cap. xiiii. prope finem. (b) Nempe Lib. II. de lib. arbit. cap. i. (c) Colligitur ex Lib. LXXXIII. Q. quæst. 117.

Præterea. Augustinus (c) dicit, quod illud quod homo fit deterior, non potest esse à Deo. Sed per infectionem fœditis tota humana natura deteriorata est. Ergo talis infectio à Deo non est.

### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod in infectione originalis peccati est considerare rationem culpæ, & pœnæ. Culpæ siquidem rationem habet, in quantum ex voluntate inordinata primi parentis talis defectus consecutus est: unde sicut actuale peccatum ipsius Adæ, per quod voluntas ejus deordinata est, non habet Deum auctorem; ita etiam nec ab ipso est totus defectus consequens, secundum quod rationem culpæ habet. Si autem consideretur secundum quod deficit ab aliqua perfectione, sic pœna est; & huiusmodi pœnæ quidem Deus causa est. Sed sciendum est, quod non eodem modo est causa omnis pœnæ. Quædam enim pœna est per inflictionem alicujus contrarii affligentis, vel corruptoris; & talis quidem pœna est à Deo agente, à quo omnis actio, secundum quod ordinata est, & passio per consequens, principium sumit. Omnis autem pœna, cum iusta sit, ordinata est. Quædam vero pœna est quæ simpliciter in ablatione, vel defectu consistit, sicut est subtractio gratiæ, & aliquid huiusmodi; & hæc quidem pœnæ à Deo sunt, non quidem sicut ab agente aliquid, sed potius sicut à non influente talem perfectionem: quia in ipso est influere, & non influere; & utriusque sua voluntas causa est. Si ergo consideretur fomes, secundum quod est pœna, non dicit aliquam pœnam inflictam (quia super naturalia principia non supponit aliquid positive in homine) sed pertinet ad illud genus pœnarum quod in solo defectu consistit: ex hoc enim concupiscentia, vel fomes inordinate inclinatur, quia subtractum est vinculum originalis iustitiæ, inferiores vires in obedientia rationis (3) continens; & secundum hoc dicitur huiusmodi pœnæ Deus causa esse, in quantum illam originalem iustitiam non confert homini nato quam primo homini creato contulerat.

Ad primum ergo dicendum, quod creatio, & infusio, licet simul sint, respectu animæ tamen differunt: quia creatio dicitur secundum respectum ad principium à quo est anima tantum; infusio vero dicitur secundum respectum ad duo, scilicet ad principium à quo procedit, & ad materiam quam perficit. Cum ergo dicitur, Anima creatione maculatur, ablativus iste potest denotare habitudinem alicujus causæ; & sic falsa est: quia creatio animæ non est causa quod maculetur, nihil enim ex creatione anima habet quod à Deo non sit: vel potest denotare concomitantiam; & sic vera est: quia dum creatur, maculatur: ex quo tamen non sequitur quod Deus maculæ auctor sit. Cum vero dicitur, Anima infusione maculatur, si ablativus concomitantiam designat absolute, vera est; si autem denotet habitudinem causæ, duplex est: quia vel intelligitur infusio esse causa maculæ ex parte principii à quo, & sic falsa est; vel ex parte termini ad quem, & sic vera est.

Ad secundum dicendum, quod non est simile de anima, & de Angelo: Angelus enim creatus est non ut forma alterius corporis: unde non poterat ex parte materiæ defectus incidere; sed oportebat quod si

in principio creationis; peccati maculam habuisset, (1) hoc ex parte creatis esset: anima vero creatur ut actus cuiusdam corporis, ex cuius conjunctione potest aliquam maculam contrahere: nec sequitur quod maculæ illius Deus principium sit.

Ad tertium patet responsio per ea quæ dicta sunt.

Ad quartum dicendum, quod quamvis ferri in delectabile carnis sit de natura ipsius concupiscibilis absolute consideratæ, non tamen est de natura ejus secundum quod est humana, id est per rationis iudicium nata ordinari, & præcipue secundum hoc quod in natura humana potuit esse talis perfectio in ratione qua concupiscibilem penitus ordinaret: & ideo quando præter ordinem rationis in suum objectum fertur, ex defectu quodam contingit: & causa istius defectus, in quantum culpæ rationem habet, ex Deo non est, ut dictum est.

Ad quintum dicendum, quod fomes per se in malum inclinatur; sed quod in bonum promoveat, hoc est per accidens: unde non sequitur quod quolibet modo consideratus ex Deo sit: quia ex quolibet malo aliqua bona per accidens proveniunt.

### ARTICULUS II.

*Utrum conveniat sapientiæ divinæ infundere animam corpori, à quo contrahat maculam.*

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod divinam sapientiam non deceat quod anima corpori infundatur, ex quo maculam contrahat. Nullus enim sapiens ponit thesaurum suum in loco in quo inquinatur. Sed anima pretiosissima (2) thesaurus Dei est, ut est imagine Dei insignita. Ergo non deceat divinam sapientiam ut tali corpori infundatur ex quo maculam contrahat.

2. Præterea. Si Deus aliquem in inferno poneret sine propria culpa, non esset decens iustitiæ ejus, & sapientiæ. Sed ex hoc quod anima ex infusione maculatur, reatum infernalis pœnæ incurrit. Ergo non deceat Deum ut tali corpori eam infundat.

3. Præterea. Infectio spiritalis est pejor quam corporalis. Sed consulitur infectis lepra corporali ut à coitu abstineant, ne filios infectos generent. Ergo multo fortius & Deus instigare debuit ut homines à carnali opere cessarent, ex quo per coitum genitos maculam originalis culpæ contrahere necesse est.

4. Præterea. Nullus artifex (3) sapiens facit tale opus ex quo sua intentio perfici non potest. Sed finis propter quem Deus fecit hominem, est ut ejus beatitudine perficiatur. Cum ergo per hoc quod anima tali corpori infunditur, reatum incurrat, ut visione careat Dei, videtur quod hoc sapientiam Dei non deceat.

5. Præterea. Ut Fulgentius, de dup. prædest. Lib. I. cap. xix. dicit, Deus illius rei non est ultor cuius non est auctor. Ergo eadem ratione illius rei non est auctor ex qua de necessitate consequitur hoc cuius est ultor. Sed ex unione animæ ad tale corpus, de necessitate sequitur infectio originalis culpæ, cuius Deus est ultor. Ergo tali corpori animam unire Deum non deceat.

Sed contra. Non est decens ut Deus opera sua mutet. Sed Deus sic instituit ut homines per sexuum commixtionem generarentur, & quod corpori per coitum seminato anima infundatur. Ergo non decuit ut Deus hoc mutaret.

(1) Al. quod ex parte. (2) Al. thesaurus Dei est imagine &c. (3) Al. faciens.

Præterea. Non est sapientis inducere majorem defectum, ut minor defectus vitetur. Sed major defectus esset si humanum genus non multiplicaretur, per cuius multiplicationem electorum numerus impletur, quam quod puer in culpa originali nascatur. Ergo non deceat Deum ut multiplicationem naturalem humani generis cessare faciat ad originalis peccati infectionem vitandam.

### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod sicut bonum gentis divinius est quam bonum unius hominis, ut in I. Ethic. cap. ii. dicitur; ita etiam bonum universi præpollet bono particularis rei, & specialis naturæ: unde etiam defectus in universum redundans deterior est. Si autem humani generis naturalis multiplicatio tolleretur, in defectum totius universi redundaret; quia vel subtraheretur natura aliqua de universo quæ ad perfectionem universi confert; vel etiam alicui parti universi sua naturalis perfectio tolleretur, secundum quod unumquodque natum est sibi simile generare: & utrumque in defectum universalitatis redundaret; & ideo non debet intermitteri humanæ generationis processus naturalis, ut infectio originalis vitaretur. Et præterea iste est ordo naturalis in rebus, ut posteriori remoto id quod prius est remaneat, nec ad ejus remotionem tollatur, sicut quando removens vitium, remanet esse, ut in Libro de Causis, propos. i. dicitur. Bonitas autem naturalis præexistit omni superaddita bonitati, & acquisita, & gratis collata: unde subtracta illa bonitate quam Deus humanæ naturæ gratis contulerat, scilicet originalis iustitiæ, non congruit ordini quem divina sapientia rebus instituit, ut aliquid eorum quæ ad naturalem bonitatem pertinent immutetur; & præcipue cum remaneat in natura facultas ad recuperandum illud quod deperditum est, vel aliquid eo excellentius.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut non esset sapiens qui thesaurum in loco mundo conservabilem, in immundo reponeret; ita esset valde insipiens qui thesaurum non aliter conservabilem, non etiam in immundo loco collocaret; & præcipue si emendandi thesaurum possibilitas remaneret. Dico etiam, quod anima habet talem naturam ut tali corpori uniat: unde si tali corpori non uniretur, oporteret quod vel omnino anima non crearetur, vel quod alterius naturæ esset; & si alterius naturæ esset, hæc natura non esset. Unde constat quod hanc naturam conservari impossibile est nisi per hunc modum.

Ad secundum dicendum, quod pœna inferni est duplex. Quædam est, quæ pro peccato actuali debetur; & ista est corruptio alicujus boni quod etiam ex naturalibus principiis naturam humanam consequitur: unde injustum esset ut aliquis talem pœnam subiret nisi per hoc quod propria culpa illam meruisset. Quædam vero pœna est originali debita, quæ nihil subtrahit eorum quæ naturæ ex principiis suis debentur; sed aliquid humanam facultatem excedens tollit, ad quod tamen ordinata erat per aliquid naturæ gratis collatum: unde nulla injuria isti homini fit, si non sibi datur quod suæ naturæ non debetur, secundum quod eam accepit.

Ad tertium dicendum, quod lepra est corruptio illius boni quod principia naturæ consequitur, & sanari non potest; sed originalis infectio est corruptio illius

illius boni quod principia natura non sequitur, & curabilis est: & ideo non est similis ratio de utroque.

Ad quartum dicendum, quod ad hoc Deus creaturam facit ut unaquaque de sua bonitate participet quantum possibile est; meliusque est ut secundum aliquem modum participet quam nullo modo. Dico ergo, quod quamvis illi qui in peccato originali nascuntur, sint obnoxii ut priventur illa participatione divinæ bonitatis quæ beatos efficit in patria; tamen participant, & facultatem participandi habent secundum modum qui possibilis naturæ est secundum suorum principiorum conditionem. Unde patet quod non penitus deficit opus Dei à fine in quem ordinatum est; & præcipue cum veniendi in ulteriorem participationem facultas non tollatur.

Ad quintum dicendum, quod originali culpæ debetur poena secundum hoc quod culpa est; & hoc non habet ex unione animæ ad corpus, sed ex voluntate primi parentis, quod culpa sit: unde quamvis Deus animam corpori uniat, non sequitur quod sit causa illius cuius ultor est.

ARTICULUS III.

Utrum animæ sint æquales in sua creatione.

1. AD tertium sic proceditur. Videtur quod animæ ex sui creatione sint æquales. Differentia enim formalis diversificat speciem. Sed anima est forma corporis. Cum omnes ergo homines unius sint speciei, videtur quod ex parte animæ nulla sit differentia in hominibus.

2. Præterea. Gregorius (a) dicit, quod omnes homines sunt natura pares. Sed dignitas rei præcipue attenditur secundum formam suam. Si ergo unus homo habet animam ex creatione anima alterius nobiliorem, unus homo etiam secundum naturam alii præponeretur: quod est contra auctoritatem inducendam.

3. Præterea. Ut in II. de generat. text. LVII. dicitur, idem semper est natum facere idem: unde oportet quod ab agente uniformi sit effectus uniformis. Sed anima immediate à Deo creatur. Cum ergo in Deo nulla sit diversitas, videtur quod animæ inæquales ex creatione non sint.

4. Si dicatur, quod quamvis non habeant diversitatem ab agente, habent tamen ex materia; contra. Formæ quæ secundum diversitatem materiæ diversificantur, de potentia materiæ educuntur, ut in formis corporalibus patet. Sed anima rationalis non educitur de potentia materiæ: quia, ut in XVI. de animalibus (b) dicitur, intellectus est ab extrinseco. Ergo nec etiam ex diversitate materiæ inæqualitas in animabus esse potest.

5. Præterea. In III. Metaph. text. XI. Philosophus dicit, quod in individuis unius speciei non est prædicatio secundum prius & posterius. Sed in diversis speciebus contingit esse huiusmodi prædicationem, ut scilicet genus de eis secundum prius & posterius prædicetur. Tunc autem præcipue videtur quod species per prius generis prædicationem recipiat, quando nobilior forma, vel differentia naturam generis participat. Ergo in individuis hoc non contingit ut unus homo nobiliorem formam quam alius possideat. Ergo videtur quod nec unus homo ani-

Ex Edit. P. Nicol. (a) Ut cap. x. Lib. XVI. Moral. seriem novam, cap. 111.

mam ex creatione nobiliorem habeat quam alius.

6. Sed contra. In I. de Anima com. LIII. Commentator dicit, quod diversitas materiæ ex diversitate formæ procedit. Sed videmus in hominibus ex parte corporis magnam diversitatem, secundum quam unus alio ad bonum, & malum promptior est, ut patet in diversis hominum complexionibus. Ergo oportet quod eorum animæ ex sua creatione diversitatem habeant.

7. Præterea. Videmus ad sensum, quosdam homines esse melioris intellectus quam alios. Sed bonitas intellectus non potest causari ex parte corporis: quia intellectus à corpore absolutus est, ut in III. de Anima text. XIX. & XX. probatur. Ergo oportet quod hoc contingat ex diversitate quam animæ à sua creatione habent.

SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod de anima, & Angelo est duplex opinio. Quidam enim dicunt animam, & Angelum ex materia, & forma compositum, vel ex aliquibus duobus, quæ sunt partes essentiae eius: & secundum hoc potest forte aliquis modus inveniri quo assignetur differentia animarum, & Angelorum, ut sint plures in specie una, etiam ex seipsis: quia unitas speciei erit ex principio formali in ipsis; diversitas autem individuorum est ex diversitate materialis principii: & ex hac etiam posset in eis gradus quidam nobilitatis attendi: & hoc videntur verba Magistri sonare, qui dicit, eo modo in animabus esse differentiam quo etiam in Angelis est. Sed quia supra dictum est, secundum aliam opinionem, quia anima, & Angelus naturæ simplices sunt, & non est in eis compositio, nisi ex esse, & quod est; ideo oportet quod quæcumque differentia in eis est ex seipsis, sit differentia formalis, & speciei diversitatem inducens: & propter hoc etiam tactum est, quod in Angelis tot sunt species quot individua: & ideo non est possibile ut diversitas animarum ponatur ad modum illum quo distinguuntur gradus in naturâ angelica, cum omnes animæ rationales unius speciei sint; differunt autem numero solo. Omnis autem talis diversitas ex materia causatur: & ideo cum anima non habeat materiam partem sui, oportet quod diversitas, & distinctio gradus in animabus causetur ex diversitate corporis, ut quanto corpus melius complexionatum fuerit, nobiliorem animam sortiatur; cum omne quod in aliquo recipitur, per modum recipientis sit receptum: & hoc quidem duplici signo patet. Primo ex his quæ diversi generis sunt: quia unumquodque invenitur tanto nobilius genus animæ participare, quanto corpus ejus ad nobilius genus complexionis pertingit, ut in hominibus, brutis, & plantis. Unde etiam in his quæ sunt unius generis, ex hoc contingit diversitas animarum quod est in corporibus diversitas: & hoc etiam patet ex signo boni intellectus: quod Philosophus in II. de Anima text. XCIV. dat intelligere, dicens, eos qui sunt boni tactus, & molles carne, aptos mente esse. Bonitas autem tactus ex æqualitate complexionis contingit: quia oportet ut instrumentum tactus inter contraria tangibilia sit medium: & quanto magis pervenit ad medium, tanto melior erit tactus. Unde patet quod ex diversitate corporis, animarum diversitas resultat.

Ad primum ergo dicendum, quod diversitas formalis est duplex. Quædam quæ est formæ per se, secundum

videre est. (b) Sive Lib. II. de gener. anim. juxta

EXPOSITIO TEXTUS.

cundum id quod ad rationem formæ pertinet; & talis diversitas formæ, diversitatem speciei inducit. Est autem quædam diversitas formæ non per se, sed per acciēns, ex diversitate materiæ resultans, secundum quod in materia melius disposita dignius forma participatur; & talis diversitas speciem non diversificat; & hæc est diversitas animarum.

Ad secundum dicendum, quod Gregorius loquitur de paritate; & imparitate quæ attenditur secundum dominium, & subjectionem; quia unus homo ex natura sua non habet quod dominetur alii. Unde patet quod non est ad propositum.

Ad tertium dicendum, quod quamvis Deus sit agens, in quo nulla est diversitas: tamen quia per voluntatem agit, potest multiformes effectus producere pro libito suæ voluntatis. Sed hoc esse non potest quod aliqua in specie convenientia, in forma habeant diversitatem, quia hæc contradictionem implicat: & ideo oportet quod diversitas quæ est in animabus ejusdem speciei, in diversitate materiæ reducatur.

Ad quartum dicendum, quod quamvis anima rationalis non educatur de potentia materiæ, tamen creatur in materia, ut actus ipsius; & ideo oportet quod in ea per modum materiæ recipiatur.

Ad quintum dicendum, sicut ad primum dicitur.

Ad sextum dicendum, quod diversitas materiæ potest accipi dupliciter. Vel diversitas partium speciei, id est partium speciei differentium, sive formaliter, ut manus, pes, & huiusmodi; & talis diversitas causatur ex parte formæ: quia ex hoc quod forma est talis, oportet quod corpus sit sibi sic dispositum. Est autem quædam diversitas materialis tantum, quæ ad speciem non pertinet, sed ad individuum tantum; & ista redundat ex materia in formam, & non è converso.

Ad septimum dicendum, quod quamvis intellectus sit absolutus à corpore quantum ad propriam operationem, quæ corporali organo non expletur; tamen conjunctionem habet ad corpus dupliciter, scilicet ex parte essentiae animæ, quæ forma corporis est, & ex parte inferiorum potentialium, ex quibus intellectus recipit; & per istum modum diversitas corporis potest esse peccatum: quia quod naturale est, magnum esse non potest.

DISTINCTIO XXXIII.

An peccata omnium præcedentium patrum parvuli originaliter trahant, ut peccatum Adæ.

Prædictis adjiciendum videtur, an peccata præcedentium patrum ad parvulos transeant, sicut illud primi hominis delictum in omnes carnaliter genitos diximus redundasse: & si peccata parentum transeant in parvulos, utrum omnium qui fuerunt ab Adam usque ad ipsos, an aliquorum, & non omnium. De hoc Augustinus in Enchirid. cap. XLVII, ambigue disserit. Videtur enim approbare peccata parentum præcedentium imputari parvulis, non omnium tamen qui fuerunt ab Adam, ne importabili, & nimia sarcina in poena æterna gravarentur parvuli; sed tantum eorum parentum qui eos à quarta generatione præcesserunt. Quod confirmat illis verbis, quibus in Exodo cap. XX. 5. Dominus ait: „Ego sum Deus visitans iniquitates patrum usque in tertiam, & quartam generationem;“ quasi peccata parentum proximorum tantum parvulis imputentur, & non alia: quod est per moderationem divinæ miserationis. Et quod non illud solum primi hominis delictum parvulos teneat, sed etiam alia, illi quibus ita videtur, ex eo confirmant, quod etiam parvuli, non modo majores, dicuntur baptizari in remissionem peccatorum per pluralem numerum, non per singularem, in remissionem peccati: & David de legitimo matrimonio procreatus dicit Psalm. L. 7. „In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.“ Non dicit, In iniquitate, vel peccato. Unde putant, non tantum illud unum peccatum originale, sed etiam plura quæ in peccato Adæ reperiri possunt, & alia parentum peccata parvulis imputari.